

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

29 August 2023

.....

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for three hours. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. A demon tries to trick St. Juliana of Nicomedia, in prison, into sacrificing to pagan gods

Venit dyabolus in specie angeli dicens: "Iuliana, ego sum angelus domini, qui me ad te misit, ut te debeam commonere, ut diis sacrifices, ne diu crucieris et tam mala morte moriaris." Tunc Iuliana flens oravit dicens: "Domine deus meus, ne permittas me perire, sed ostende mihi quis est, qui mihi talia persuadet." Facta est ad eam vox ut ipsum apprehenderet et quis esset ipsum cogeret eum confiteri. Quae cum eum tenuisset et quis esset interrogasset, dixit ei, quod daemon esset et quod ad eam decipiendam pater suus misisset ipsum. Cui Iuliana: "Et quis est pater tuus?" Respondit: "Beelzebub, qui ad omnia mala nos dirigit et facit nos graviter verberari, quotiens a christianis fuerimus superati. Et ideo scio quod malo meo huc veni, quia te superare non potui." Inter alia quae confessus est, dixit quia tunc maxime a christianis elongatur, quando misterium dominici corporis agebatur et quando orationes et praedicationes fiebant.

2. How female and male deer exhibit wisdom greater than that of many other animals

Est autem opinio de cervo, quod discretior sit multis animalibus aliis. Observat enim quod pariat in umbrosis iuxta publicas vias existentibus, eo quod bestiae nocivae timentes transitum hominum minus sunt in locis illis. Est etiam signum discretionis cervi, quod cervus mas quando se sentit pinguem, latet, ne venentur ipsum homines et bestiae propter pinguedinem. Cervi etiam eiciunt cornua in locis in quibus grave est invenire ea: propter quod etiam proverbium est dicere, “Vade ad locum ubi cervi eiciunt cornua”: et eiectis cornibus absconduntur nolentes apparere, eo quod carent armis et se defendere non possunt. Eiciunt autem cervi cornua in primo mense veris, qui est Martius: et tunc per diem latent in locis nemorosis et condensis multarum arborum et fructuorum in quibus multae sunt herbae pascuales, eo quod timent lupos, et per tempus illud nocte pascuntur quousque creverint cornua eorum. Et tunc exeunt securi, quoniam habent arma.

3. The reign of Justinian as a golden age

Extruxit quoque idem princeps intra urbem Constantinopolim Christo domino, qui est sapientia Dei patris, templum, quod Graeco vocabulo Agian Sophian, id est sanctam sapientiam, nominavit. Cuius opus adeo cuncta aedificia excellit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in iudiciis iustus; ideoque ei omnia concurrebant in bonum. Huius temporibus Cassiodorus apud urbem Romam tam seculari quam divina scientia claruit. Qui inter cetera quae nobiliter scripsit psalmorum praecipue occulta potentissime reseravit. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Caesariensis gramaticae artis, ut ita dixerim, profunda rimatus est. Tuncque nihilominus Arator, Romanae ecclesiae subdiaconus, poeta mirabilis, apostolorum actus versibus exametris exaravit.

His quoque diebus beatissimus Benedictus pater et prius in loco qui Sublacus dicitur, qui ab urbe Roma quadraginta milibus abest, et postea in castro Cassini, quod Arx appellatur, et magnae vitae meritis et apostolicis virtutibus effulsit.

4. A passage from St. Augustine inspires a meditation in elegiac couplets on love of God and of neighbour

Lex Christi perfectio caritatis est, qua Deus proximusque diligitur: et per quam dicitur Conditori legis, “Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.” Bene enim exspectat promissionem Dei, qui mandatum eius exsequitur: nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis.

Verus amor Christi vera est custodia legis,

Et mandata Dei complet amans homines.

Quorum ignoscentes culpis sua crimina solvunt,

Quodque aliis tribuunt, hoc sibi prospiciunt.

Det peccatori veniam peccator, et aequa

Conciliet Dominum conditione sibi.

Cuius iudicium de nostro examine pendet,

Quod serimus metimus, quod damus accipimus.